







447.

28 4.

1662 10

11

I. N. 7.

De

ULTIMO JURIS

ET JUSTITIÆ FINE,

PRÆSIDE

Viro Nobiliss. Excell. Consultiss. Ampliss.

DN. MICHAELE LEDERERO,

J.U.D. Incl. Fac. Jur. Asfess. Cur. provinc. Advoc.

Reip. pat. Consule &c.


PATRONO COLENDO,

PRO LICENTIA D. U. J.

D.

ERNESTUS TENTZELIUS,

ad d. .Novembr.



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, AcademTypogr.

1662



ULTIMO HIC

ET JUSTITIAE

DR MICHAEL E. LEHRER

PROFESSOR

OF LAW

AND

PHILOSOPHY

STANFORD

UNIVERSITY

PACIFIC GROVE



N

ex.p
pr.v
ad l
pecu
cog
de f
mus
tem

Om
quã
tos
Tris
No
lici
hac
C.D
gen
non
ex p



ND
De
ULTIMO JURIS ET JUSTITIÆ
FINE,

SECTIO I.
I.

Materia isthæc inter omnes, quæ prudentiam Juris concernunt, ἀνευ ὁπερβολῆς, eminentissima. Nec minus ad vitam justè degendam, litiumq; calumnias coercendas momenti maximi. *Vid. Col. de proc. ex. p. 3. c. 9. pr. Tiraq. Tract. ces. ca. lim. 1. n. 7. Anon. apud Webn. obs. pr. verb. Justitienwesen. parth lit. l. 1. c. 2. n. 40. Dn. Carpz. Resp. j. pref. ad lect.* Vix tamen à quoquam, quod nobis constet, de professione peculiari instituto tractata. Nos impræsentiarum nonnulla. Præcognoscemus finem istum, an? Quid? Qvalis? Qvotuplex? totidè sectionibus. Existentiæ quidem rationem dupliciter habebimus, in se & respectu disciplinæ. Omnia parcè & ad necessitatem.

II. Nil dubii, dari aliquem prudentiæ Juris finem talem. Omne agens artemq; omnem propter finem esse, tam Jctis quàm Philosophis certum. Ut ex naturali quoq; instinctu beatos esse velle, omnibus commune sit hominibus. *Alcuin. de S. Trin. l. 1. c. 1.* Id dubium, deturné finis Jurisprudentiæ proprius? Nostri plerumq; finis tantum communis omni prudentiæ, felicitatis, salutis &c, meminerunt. Et frustra videtur in miserâ hæc vita beatitudo aliqua quæri disputante S. Augustino. *l. 19. de C. D. c. 4. Gl. 11. c. 12.* Sed alius est fini *absolutè ultimus*, alius *in certo genere*. Illum S. Aug. hæc in vita frustra desiderari docet: hunc non negat. Nostri obiter potiùs attingunt finem hunc, quàm ex professione considerant. Quid ergò mirum, si populariter?

Et materia substrata, quæ communia videntur, restringit. Rectè B. Ambrosius 2. off. 5. sunt qui in hoc corpore tam infirmo impossibilem vitam beatam putent, in quo necesse est angere, egrescere: quasi v. ego in corporis exultatione dicam vitam beatam consistere; Non enim in passione esse, sed victorem esse passionis, beatum est. Porro justitia, ut quælibet virtus, ordinat actum suum ad proprium finem. Quo Jurisprudentia carere nequit, si sit disciplina ab aliis distincta. Operatrices quippe disciplinae ab aliis fine proprio distinguuntur.

III. Factum hinc ut proprii Jurisprudentiæ finis disertè meminerint Coras. Pifo, Harpp. Dn. Hahn, Dn. Struy. alii; Et leges 12. tabb. supremæ legis i. e. summi legum finis. Nec prudentia legalis Philosophiæ practicæ subalternata propriè est. Et quid vetat finem practicum etiam cum respectu ad futuram vitam, ultimum esse quoad præsentem? Ultimum talem esse non prohibet ejusmodi respectus.

IV. Num autem in ipsa JPrâ sedem teneat propriam finis noster? Paucis. Certum, habitum practicum eam esse; Bachov. ad Wes. n. 14. lit. Z. Ehem. l. 1. de princ. j. c. 13. Rich. Zouch. el. J. p. 1. s. 2. Non artem, non scientiam propriè dictam, non simplicem peritiam. Alia ergo Methodo non tradenda, nisi analyticâ Dn. D. Tab. el. J. p. 1. pr. Dn. D. Hahn. ad Wes. n. 1. de j. e. j. Dn. D. Struve Synt. Exerc. 1. n. 13. Dn. D. Kleinschmid præcog. J. tr. 5. s. 3. n. 39. Ea quippe practicarum discipl. propria. Porro analiticæ natura est, à fine progredi ad media. Zab. de meth. l. 2. c. 9. seqq. Wes. orat. de fin. Unde duæ ipsius partes, de fine altera, altera de mediis. Tractatum enim de fine partem Jurisprudentiæ omninò esse, nec ad τὰ ἀνεγλεγομένα spectare nobis certum, dissentientibus licet, ut videtur Jctorum & Philosophorum nonnullis.

SECT. II.

V. OBJECTIVUS prudentiæ legalis finis, Communis, ipsi est, cum omni prudentiâ. Ideò non opus peculiari tractatione. DEUS Opt. Max. ille est, per essentiam solus bonus. In hunc

hunc finem ait Wefenb. *Orat. de fin.* omnia consilia studia & actiones referre, cum omnes homines, tum maxime nostrum Jurisprudentum ordinem decet, quia per absurdum vocem sonare justitiæ, in his verò quæ Deo fontis justitiæ omni jure debentur non fungi officio, injustum reperiri. Hinc jam olim, bonum morale jungere nos Deo per affectum, docuit Plato nec hinc ab eò dissensit Aristot. tradente Piccol. *grad. 9. c. 35.* Sed ad *formalem* transimus. Hic in jure nostro subinde felicitas, beatitudo, utilitas, bene vivere, salus, summum bonum. *N. 1. pr. N. 77. 93. 134. 161. cum sim.* Eundem finem prudentia Philosophica. 1. *Nic. 2. Picc. grad. 9. Hornej. Eth. l. 1. c. 3.* An igitur utraq; non haber finem ultimum proprium? Quod si esset, potius Jurisprudentiæ quam illi alteri ultimus ille asferendus; ut qui juxta philosophum, ad eam scientiam pertineat, quæ cæteris leges præscribit. Hoc quippe Jurisprudentiæ est. *N. 98. pr. Ben. de priv. JC. p. 172.* At nihilominus absurdum, prudentiam philosophicam sine proprio destitui. Tentari posset, Jurisprudentiam & Philosophiam moralem eundem esse habitum. Sed paradoxon hoc nec JCtis acceptum nec Philosophis. Agnoscamus ergo differentiam; Non quasi Prudentia philosophica generaliter tradat, quæ Jurisprudentia ad circumstantias particulares determinet. Non quod ipsa sit politica, aut prudentia tantum judiciaria, vel media inter legislativam & politicam specialem. Sed quod sit habitus prudentiæ speciali oppositus.

VI. Suppositâ ergo distinctione prudentiarum, agnoscendus & distinctus finis proprius. Talis, nostrâ sententiâ. Prudentia legalis intendit operationem secundum justitiam & congruentiam vitæ cum legibus; Prudentia reliqua operationem secundum virtutem sine relatione ad leges. *Jus naturæ,* dicente Grotio, *de j. b. l. 2. c. 1. §. 9. respicit actus virtutum, ut non honestos tantum sed & debitos.* Justitia movet omnes alias virtutes per imperium ad debitum finem; legesq; aliud nil sunt quam virtutes imperatæ. Distinctio inter debitum justitiæ & aliarum virtutum, seu legale & morale, verbis potius

A 3

quam

quàm sensu videtur incommoda. Virtutes quatenus debentur
aut à legibus imperatae, non spectantur ut virtutes simpliciter,
sed sub objecto formali justitiæ. Præceptum esse objectum
constituit obedientiæ: quæ forma est Justitiæ universalis:
Tho. 2.2. q. 104. a. 2. Wes. n. 8. de j. & j., Non tamen alia di-
cenda est esse justitia Jctorum, alia Philosophorum. Eadem
apud utrosq; definitio est *Lugo de j. & j. disp. 2. s. 1. n. 1. Zoës.*
n. 7. de j. e. j. Hornej. Eth. l. 3. c. 11. n. 14. post alleg. Distinctum
ergò agnoscimus finem ultimum non essentiã, sed modo.

VII. Neminem eruditorum latet varietas maxima
Veterum Philosophorum de beatitudinis quidditate. Tan-
ta illa fuit, ut Varro adverterit, ad 288. sectas discrepantes esse
posse. Quatuor fuere præcipue Stoicorum, Peripateticor-
um, Epicuri & Platonis. Nos missis hisce, Jctorum nonnul-
lorum recentiorum præcipue de ultimo nostro fine opinio-
nes recensibimus. Quarum discrepantia plerumq; inde, quod
obiter saltem rem tetigerint. Ideò tantò rectius, quoad fieri
potest, conciliandæ potius, quàm invicem committendæ.

VIII. Prima opinio eorum est, qui *justitiam habitualem*
juxta l. 10. de j. & j. pro fine nostro habuerunt. inter quos Isern.
Harpp. Mattheac. Zouch. alii. Ab his reliquorum opinionum
assertores disceserunt. Nec sine ratione. Nullam virtu-
tem & habitum, ultimum finem practicum esse posse, demon-
stravit olim Philosophus. *1. m. m. 4.* Quorum usus est simul
& habitus, eorum semper melius *2. q. 2.* Et summum bonum
est justitiam colere, justitiamq; in casu obliquo involvit. *12. q. 2.*
c. si seculi. N. 149. 161. pr. Quid? quod habitus justitiæ acquisi-
tus crimine non statim perditur, ut beatitudo.

IX. Secunda opinio *conservationem justitiæ* seu æquali-
tatis in vitâ civili pro fine agnoscit, quæ sanitas sit politiarum.
Wes. n. 2. de j. e. j. Becht. de sec. eb. 36. Schultz. Syn. Inst. pr. de
j. & j. Buda in l. 1. eod. Ant. Masf. Gallef. de Exerc. Juriss. l. 3. n. 5.
Zoës. n. 1. de j. e. j. Reprobatur à Dn. Hahnio, quod Metapho-
ricum finem afferat. Nos alia quædam incommoda quoq;
notamus. Conservatio justitiæ actus externus est & conti-
nuatus:

huatus: Finis noster bonum *ὁμοίον* & intrinsecum, nec so-
lum continuatum sed & plantatum. Nec cujuslibet justitiæ
conservatio finis ultimus, sed optimæ; Et cur restringemus
eundem ad politicam? cum tamen & privatorum sit.

X. Non multum abludivit tertia opinio, *administra-*
tionem justitiæ ponentium. Bach. ad Wes. d. l. Kopp. l. i. O. l. n. 7.
Haud sufficiens & illa. Pertinet ad Juris tantum redditio-
nem & prudentiam judiciariam, rectè notante Dn. Hahnio
ad Wes. n. 2. de j. & j. Ista tamen totam Juritprudentiam ejusq;
finem non exhaurit. Et inqvivissimus quis alii justitiæ admi-
nistrare potest. Cumq; administratio ea operatio sit ad alium
finem, bonum eorum quibus administratur; rectius ad partem
Jurisprudentiæ posteriorem, dicæologicam remittitur, velut
& à Marant. ad judicia refertur. Quæ tamen ipsa finis
nostri ultimi rationem minimè habent. Juris in controversi
pars longè maxima. Anton. ap. Cic. l. de orat. Et judicia ad ali-
um finem tendunt, bonum justitiæ.

XI. Sunt quartò, qui *felicitem seu beatitudinem*
vite humane pro fine nostro laudant. Garf. de ult. fin. j. n. 3. 6.
post Thom. Diximus supra in Jure quoq; nostro eum hoc nomi-
ne venire, sed obiter tantum factâ mentione. Et censeri
potest restringi ex materiâ subjectâ. Aliud de Fort. Garfiâ
sentiendum, qui de ultimo juris & just. fine ex professo
agit, si modò ipsius est inscriptio quam præfert tracta-
tus. Censendus enim de fine proprio & adæqvato suæ
disciplinæ agere voluisse, certè debuisse. Et fatetur ta-
men ipse d. l. n. 3. Felicitem humanam finem esse Ethices.
Absit autem ut putemus cum Hercul. tr. de attent. ep. ded. Fe-
licitatis, & finis nostri partes esse virtutem, divitias, honorem,
ut paulò post.

XII. Mirum quintò, *honorem seu gloriam* à quoquam
hodiè accipi pro fine nostro videri potuisse. Error iste du-
dum à S. Patribus, Philosophisq; profligatus; nec opus actum
agere. Machiavelli digna homine impio querela, causam
esse Religionem, quod Christiani non tam celebres virtute &
gloriâ,

md. S. C. J. Born.
N. 1710

gloriã, quam Vêteres Romanorum, cum ea ad beatitudinem
vocet contemptores gloriã, quam Ethnici pro S. bono habue-
rint. Rectius B. Aug. l. 5. de C. D. c. 12. illam laudis gloriãq;
cupiditatem in Romanis pro vitio reputat.

XIII. Celebris opinio sexta eorum, qui *utilitatem populi
aut communem* pro fine nostro. *Duar. 1. disp. 11. post Cic. 2. de jur.
& al.* Ad cuius explicationem opus distinctione vocis. Nos
pro instituto nostro quadruplicem notamus. Capitur 1. Vox
Utilitatis pro bono quod opponitur honesto & jucundo.
Sicq; de quidditate ejus est ad alium finem referri. *Tho. 1. 2.
q. 16. 1. 3.* Uti enim est, quæ sunt ordinata ad finem, in finem re-
ferre. *Cepoll. de serv. urb. c. 5. n. 1. post. Aug. & Archid.* Qui si
honestus non sit, utilitas in vitio. Unde Poëta:

*Turpe quidem dictu, sed si modò vera fatemur,
Vulgus amicitias utilitate probat.*

2. Capitur pro bono honesto, diciturq; utilitas honesta.
Apud Ethnicos humaniores creditum ferè, utile absq; hone-
sto esse nihil posse. *Cic. 3. off. Val. M. l. 6. c. 5.* Cum primis
Stoici ita. Ex quorum schola est, quod & Jcti nostri nil utile
existimarunt quin esset honestum. *Vult. disc. schol. c. 13.*
3. pressius accipitur pro modo boni honesti, pro bono justo &
æquo. Judice S. Ambrosio, 2. off. 7. quod utile honestum &
justum & quod justum utile & honestum est. De bono æquo
variant. Verius sine copula rem unam, unamq; boni spe-
ciem; interveniente copulã duo diversa notare regulariter.
4. Sumitur pro complexu omnis generis bonorum, honesto-
rum, utilium specialiter dictorum, jucundorum. Coujun-
guntur sæpè *Nus/ Wohlfahrt/ Friede/ Recht &c. N. A. zu
Augsburg. 1548. 1595. pr. 1654. pr. & alibi.*

XIV. His præmissis facilè constat, utilitatem primæ si-
gnificationis finem ultimum non esse secus is in divitiis collo-
caretur, quod absit! Imò qui pro præmii acceptatione justitiam
servat, dicitur eam vendere non sine peccato. *C. Vendentes. 1.
q. 3.* Utilitas secundæ significationis finem quidem exhibet
sed

sed communem, sed partialem tantum, publicam utilitatem. Cum finis noster privatam quoque complectatur; Et distributio Juris in publicum, & privatum à fine desumpta. S. 4. I. de j. & j. Vigel. dial. j. l. 1. rub. de fin. Harpp. proleg. Inst. n. 30. Nisi sumatur pro eo quod prodest & universis & singulis æquè. Cæterum in tercio significatu utilitas proprium quidem juris finem notat, sed non integrum; publicum quippe solum. Jurisprudencia nostra & publicam & privatam utilitatem respicit. Utilitas verò quartæ acceptionis finem ultimum eumque principalem non affert. Bona externa sive sola sive cum bonis justitiæ, finis talis esse non possunt virtutis omnium perfectissimæ. Finis Jurisprudenciæ potius est mentes hominum facere sanas, & conformes reddere decalogo ac voluntati divinc. Dn. Carpz. de c. 7. n. 19. post Reink. & Neviz.

XV. Septima opinio, salutem publicam ut finem nostrum amplectens, præcedenti ad modum affinis. Guer. p. 150 Soac. præl. feud. p. 20. Coras. ad l. 1. n. 1. de stat. hom. Ben. de priv. JC. p. 138. Juxta ea ergò quæ dicta, intelligenda: Nimirum salus honestatis, aut justitiæ i. e. operatio secundum virtutem non honesta tantum sed & debita. N. 22. Epil. X. A. in Augspurg 1548. pr. finis quidem est, sed cum ad populum restringatur, non adæquatus. Externa autem salus i. e. fructio bonorum externorum pro fine ultimo nostro & principali, haberi minimè debet. Aliàs Jurisprudencia infima fuerit disciplinarum, ut quarum aliæ circa bona animi, circa vitam aliæ versantur. Nec verò fortunæ bona tanti sunt, ut in iis summum justitiæ bonum quæramus. Rectè Beindorf. apud Arum. disc. acad. de j. pub. 6. th. 35. v. 3. finem imperii minus principalem esse salutem populi externam, & verba philosophi, dicentis, finem politices esse publicam utilitatem, non de principali intelligenda esse, eò quod honestum semper prævalere debeat utili. Sic ethi N. 8. pr. mentio fiat solius subditorum quietis; tamen Edi. subjecto principalis exprimitur scopus, ut subditi vivant in omni justitiâ. Constat inde,

B

nec

nec externam salutem & felicitatem junctim cum internâ pro fine nostro haberi posse. Conjungitur quidem non raro utraq; , sed non ideò eodem pretio habetur. Et ex dictis patet simul, quomodo commune bonum pro fine nostro esse possit.

XVI. Porro Vigeliî *dial. j. l. i. rub. de fin.* opinio, quæ octava esse potest, & finem juris collocat in *utilitate humanâ eâq; publicâ & privatâ*, veritati proxima est, si intelligatur secundum ea quæ dicta sunt. Ideò commodior præcedentibus, quod utramq; ultimi finis partem, utilitatem publicam & privatam conjungat, & ab utraq; abstrahat. Quod cum non servaverit Bodin. *distrib. j. un. pref.* sed finem nostrum quem dicit esse suum cuiq; tribuere, ad tuendam hominum societatem, à Jurisprudentiâ monasticâ velit exclusum, incommodior est. Quin & prudentia legalis operationem justitiæ intendit, pereunte quamvis societate. Fiat enim justitia, & pereat mundus! Ideo ipse Bod. *d. l. p. 49.* rectius, finis, ait, est justitia suum cuiq; tribuens: De justitia nimir. in actu locutus.

XVII. Sunt qui *veritatem* pro scopo Justitiæ ament. *Job. de Imol. cons. 147. n. 16. Card. Tnsch. lit I. conc. 639. n. 3.* Intentione forsan bonâ, locutione incommodâ. Finem practicum quærimus, qui in nudâ veritatis cognitione non subsistit. Judex sanè veritatem non ideò peruestigat, ut sciat, sed ut justitiam litigantibus administret. Idcirco scopus hoster in jure nostro summi boni, beatitudinis & similibus elogiis venit. Nisi lubeat vocem veritatis impropriè accipere pro operatione secundum justitiam. Hellenistis *ἀλήθεια* interdum non intellectus aut oris sed vitæ veritas est, i. e. virtutis ad quam obligamur debitum. *haeslspahn de loc. sac. diss. 2. §. 40. post Corn. à. Lap.* Sed hujus opinionis, quæ nona est, auctoribus, vix ea mens. Plus incommodi habet decima opinio, finem nostrum in *gubernatione Reipub.* quærentium. Rectè pro in refutata à Dn. Hahnio *ad Wes. n. 13. de j. & j.* Addimus, si hic

adæ-

adæqvatus juris finis, perire totum jus privatum, ut quod ad
privatam utilitatem directè & principaliter.

XIIX. Undecima opinio sit, quam habet Dn. Klein-
schmid, *pracog. J. tr. 2.* Ultimum nostrum finem in *justitia legi-
tima ex vera legum interpretatione oriunda, adeptione fruitione,
& conservatiõne* collocans; cui addit *ut* efficere, ut homines
honestè & piè vivant, alterum non lædant, suum cuiq; tribu-
ant, adeoq; quoad fieri potest, imago Dei restauretur. Adest
quidem verus finis, justitiæ fruitio, sed actibus alienis invol-
vitur. De conservatiõne supra. Efficere ut justè vivatur,
operatio est ad alium finem. Nec adeò commodè duo fines
ultimi ponuntur, maximè subjectis distincti. Et interpretari
jura, non est opus Jurisprudentiæ proprium.

XIX. Cum primis verò inter reliqvas nobis arridet
sententia Cl. Jctorum, Dn. Hahn. *ad Wes. n. 2. 4. 13. de j. c. j.*
& Dn. Hilligeri *Don. enucl. l. 2. c. 1. lit. a.* Huic finis noster est
ut justè vivere: Illi ut vivere congruenter legibus, & quidem ita
ut cives per consuetudinem fiant boni, atq; ex habitu virtutis
operentur, constanter item & ex magis bonis. Sic justè agere non
quamvis operationem secundum justitiam notat, sed viri pro-
bi, & quæ sit ex habitu. Aliud enim justè agere, aliud justa.
Utrâq; ergò sententia satis commoda. Explicabimus eam
paucis.

XX. Definiti loco utimur summo justitiæ bono ex
N. 147. 161. & memoriæ gratiæ quandoq; unicâ voce *δικαιο-
σύνη*. De isto bono intelligimus definitionem Jurispru-
dentiæ Ulpianeam. l. r. pr. de j. & j. ut sit ars (rectius pruden-
tia) boni (summi, boni justitiæ, ex subjectâ materiâ) & æqui
(seu ipsius justitiæ, quâ tanquam medio bonum illud acquiri-
tur. Cum enim habitus practicus sit prudentia nostra, per
finem & media definiiri debet. Nec opus sic vocem boni tan-
quam superfluum refecare, vel per artem boni jus publicum,
per artem æqui jus privatum intelligere satis duriter. Quorum
illud Vultejo, hoc Arumæo & Harpp. &c. placet.

B 2

XXI. De-

XXI. Definimus autem finem nostrum, *operationem anime rationalis secundum iustitiam optimam.* Cum beatitudo hominis sit maxima eius perfectio, repugnat eam consistere in aliqua operatione partis sensitivæ. De iustitia autem duo quærimus, 1. pertineatne huc Universalis, an particularis? 2. si Universalis, cum eius forma sit obedientia seu convenientia cum legibus, intendantne leges nostræ obedientiam in vel externam? Equidem Thomas, 2. 2. q. 58 a. 5. 7. & qui eum sequuntur, per universalem intelligunt eam quæ ordinatur ad commodum publicum; per particularem, quæ ad privatum. Rectius Universalis est habitus complectens omnes virtutes *N. 59. pr.* sub ratione honestatis legalis; ejusque pars aut quasi species censetur particularis. Præceptum esse, & necessitas legalis, formalitas est distinctiva ejus ab aliis virtutibus. Unde & iustitia universalis specialis virtus videtur. Hæc pro in est quæ huc, ut rectè Wes. Ehem. Damhud. Hillig. Besold. Frantzk. alii. Sensu autem Thomæ, nec universalis nec particularis Jurisprudentiam exhaurit sola, sed utraq; jungenda.

XXII. Solam externam locomotivæ obedientiam leges nostras non intendere evicimus, sæpè laudatus Dn. Hahn. *ad Wes. n. 4. de j. e. j.* Actum ergò non agimus. Id dubium: præcipuè internam intendant vel externam? Distinctione res expediri videtur. Illam quæ intentionem finis ultimi nostri & intensivè; hanc quæ finem intermedium objectivè & instrumentaliter spectatum. Finis ultimus, bonum summum est & morale. *N. 149. 161. l. 1. §. 1. de j. e. j. Zoës. n. 16. de ll.* Actus externus non est moraliter bonus, nisi per denominationem à formali bonitate interni. Ideò Juri Medici animorum, finisque Jurisprudentiæ mentes hominum reddere sanas & conformes decalogo. Eaque cum Philosophiâ practicâ eosd. mores dirigit, & communem honestatis finem interdit. *Frantzk. 2. ref. 7. n. 8. 65.* Et leges per dispositionem de externis, intendunt bonos efficere cives & justos. *Dn. Struv. Synt. Exerc. 1. n. 42.*

XXIV. Re-

XXIV. Redeamus ad definitionem. Diximus secundum justitiam, optimam, *l. 10. de j. & j. const. omnem. de jur. doc. rat. N. 46. 72. pr.* Quoad sc. ea in hanc vitam cadere possit, Medium ad finem, si non sit possibile, frustra est. Ideo justitiam in Concreto, ut loquuntur, rectius hic intelligunt Br. Ang. Dn. Hahn. alii quam Coras. Ant. Fab. Boc. alii, in abstracto. Sed sitne optima ea in Jurisprudentia nostra metienda secundum solas naturæ vires nec ne? Non disquirimus. Cæterum sine Jurisprudentia & legibus nec domus ulla aut civitas ad momentum subsistit. *Cic. 1. de inv. Dn. Carpz. de c. 7. n. 16* Sine ultimo fine Jurisprudentia manea & leges inanes. Hinc nulla gens, quæ non justitiæ suæ ultimum quendam finem, & quancquam Ethnici plerumq; erroneum.

XV. In aureo seculo statim post diluvium, homines justè, piè, pacificè vixisse, nec usum fuisse judiciis, tradit *Avent. hist. lib. 1.* In Jurisprudentia Ebræorum, præter finem absolute ultimum, & ultimum secundum quid propositus, legibus Mosaicis congruenter vivere. Hic in pandectis sacris, quandoq; solus urgetur, quandoq; cum bonis fortunæ conjungitur. Sed desit ea Jurisprudentia hodiè cum Republ. Indæorum. Porrò Ethnicos Philosophos negat B. Luther. *in Ps. 127. to. 3. lat. f. 619.* verum Politicæ finem scire potuisse. Quod si supponitur, idem erit de Jctis Ethnicis. Sanè Romanorum & populorum aliorum humaniorum finis in gloriam ferè degeneravit, Vitio Christianis non imitabili; *Aug. 5. de C. D. c. 12. seqq.* & degeneravit adeò, ut Tacitus, allegante nec improbante P. Ærodiò, *pref. tract. de orig. & aut. rer. jud.* scripserit, aliter Judices, aliter Principes judicare consuevisse; illos solius æquitatis, hos etiam famæ suæ rationem posuisse. Sed abrumpenda hæc tela.


SECTIO III.

XXVI. In Methodo resolutivâ præcognoscenda quoq; Accidentia finis. Paucis ergò de quibusdam nostri adjunctis, iisq; unitis vel disjunctis. Primum esto relatio ad finem absolute ultimum. Justè vivamus, jubente Apostolo, expectantes

B 3.

beatam

beatam spem. Quæ justitia est inter homines suum cuiq; tri-
buens. *Tit. 2, 12. B. Luth. d. l. Parth. lit. l. 1. c. 1. pr.* Hinc Impera-
tor noster luxuriantibus contra Naturam inculcat futurum ju-
dicium; curam habet legum divinarum super salute anima-
mur; à Judicibus Juramentum exigit ad futurum seculum se
referens. *N. 77. c. 1. N. 137. pr. N. 8. inf.* Legumlatores quoq;
Ethnici legum suarum originem ad Deos. *Halic. l. 2. antiq. Ro.*
Tiraq. de retr. pref. Et prostant exempla à summis etiam Ma-
gistratibus ad tribunal Dei provocantium. Cum metuitur.
Judex à quo, immediatè superiorem adire licet. Rectè *Math.*
Wes. Jun. Cyn. liturg. conc. 3. n. 25. veris Jctis, ait, omnis actio
gloriam Dei & animæ suæ salutem respicit. Ast *Fort. Garf.*
de ult. f. j. n. 22. seqq. asserit non solum, finem Juris & Civilis &
Canonici, ad æternam beatitudinem tanquam finem non pro-
ximum, sed posteriorem, ut ipse loquitur, referri, sed & more
Pontificiorum, habitudinem causæ meritoriae annectit. Malè.
Isthanc, ut & relationem causæ sine qua non, ab hinc abesse,
demonstrant Theologi.

XXVII. Alterum finis nostri adjunctum in decentiâ qua-
dam æqui consistit. Nec enim omne quod licet, honestum.
Prima hinc τὸ δίκαιον ἀποδοῦν cura, quantum in ipso est, omnia
sine lite. Vir bonus multa multis de Jure suo cedit, à litibus
quantum licet, & paulò plus etiam quam licet, abhorret,
Omnes enim boni lites averlantur. *Mund. de diff. c. 6. n. 10. seqq.*
post alleg. Parth. lit. l. 1. c. 3. Hinc Regum sapientissimus, glori-
am monet esse viro quiescere à lite. *prov. 20, 3.* Et effectus ju-
stitiæ in lingua sancta voce  venit, & felicitatem & pa-
cem notante. *Jer. 32. 17.* Quod si quis, ut maximè id optet, lite
carere nequeat: non minima felicitatis pars, justum litigandi
modum nosse. Quippe non simpliciter litigia probanda, sed
quæ decenter, legitimè ac piè tractantur. *Dn. Carpz. 2, R. 51. pr.*
& 7. E. l. 2. d. 265. n. 21. Is modus per omnes Jurisprudentiæ par-
tes studiosè sectandus. Præsentissima Dei justissimi facies per-
petuò attendenda. A causis criminalibus rectè abstinetur,
quoad per conscientiam & officium licet. *Id. 2. R. 85. n. 4.* Ami-
cabi-

cabilis Compositionis occasio nunquam defugienda homini Christiano. Non enim finis processuum victoria litis. sæpe etiam succumbendo secundum justitiam vivitur. Multi quippe sub justo clypeo pereunt.

XXVIII. Causam injustam advocatus sciens nec ad finiendum nec ad differendum aut concordandum suscipiet. Nec ut Medicus excusatur causam desperatam assumens, ita & advocatus *Boër. dec. 323. n. 25.* Hic ut in foro animæ teneri videtur de culpa levissimâ, adstringente juramento *l. 14. §. 1. C. de jud.* ita & de foro exteriori id Cynus *rub. C. de proc.* asferit. Quid de dolis? In bello eos alii laudant, vituperant alii Livius *dec. 5, l. 2.* novam sapientiam appellat, cui potior utilis quam honesti cura sit. Nonnulli bello adversus hostem publicum admittunt dolos, non inter privatos. Alii extra casum belli iis uti licere in bona causâ. Lipsius *4. pol. 14.* triplicem fraudem facit, levem, mediam, magnam, illam svadet, istam tolerat, hanc damnat. Rectè notatus à Boeclero. *disf. de pol. Lips. c. 5.* Certè si quid contra veros hostes liceret, id adversus Christianos in foro justitiæ non statim liceret. Et sint liciti doli in bonâ causâ, honestius tamen & ad finem nostrum convenientius abstineretur. Nisi per modum defeusionis inculpatae uteremur.

XXIX. Lætitia quoque justitiæ operationem quam requirimus, sequitur. Lætitia bonæ Conscientiæ Wefenbecio *π. de j. e. j. n. 8.* inter fines justitiæ universalis est. Actionesque habitum justitiæ antecedentes fiunt eum luctâ, sed habitu acquisito, cum jucunditate, *Bach. ad Wes. n. 6. eod.* Diversimodè tamen pro diversitate lætitiarum sentiendum. Lætitia exterior sensuum à fine nostro non rarò abesse videtur. Immortalitas litium, litigantium perversitas, profunda veri ignorantia, larga præsertim in criminalibus lugendi materia *Aug. l. 19. de C. D. c. 6. 7. Du. Carpz. p. 1. c. 1. d. 1.* Quin justis quoque bellis sapiens dolet. Unde justitia formâ Chryssiæ, reverendæ cujusdam tristitiæ imagine apparebat. *Got. ad l. 19. §. 1. de off. pres, ex Gell. Pandectæ sacræ cor sapientis in domo luctus esse.* Et S. Aug. *epit.*

epist. 82. in hoc mundo, ait, non timere. non dolere, non periclitari impossibile est. Sanè gaudium fini nostro cohærens, acquiescentiam in voluntate summæ justitiæ infert, non semper sva-
vitatæ internæ perceptionem. Nec expelli potest mæror sem-
per pro lubitu præsentibus malis: quorum plura objiciuntur
quàm bona iis quoq; qui jus suum competentibus prosequun-
tur mediis.

XXX. Adjuncta disjunctiva, quæ exterius fini nostro
accedunt, sunt tum bona, tum mala fortunæ. De bonis non
dubium. *l. 1. §. 1. de j. e. j. Rul. de comm. 1. 8. 1.* Wesenb. ea pro fini-
bus Jcti minus principalibus habet. *orat. de fin.* Possunt
autem abesse à fine nostro. Nec sunt in potestate nostra,
N. 69. pr. Geil. 2. O. 95. n. 21. Eccl. 1. 5 ult. sed variabilia & vani-
tati obnoxia. Graviter B. Ambros. *2. off. 3. scriptura,* ait, *virtu-
tem in omni rerum statu beatam judicat, quæ neq; augetur bonis
corporis vel externis, neq; minuat aduersis.* Ut adeo juxta Be-
sold. ea bona nec de existentia ultimi finis nostri sint. Et no-
strâ sententiâ nec adbenè esse necessaria.

XXXI. Quod si bona fortunæ fini nostro associari que-
unt, operæ est scire, intendatne ea ὁ δικαιοδαιμων prudentiâ
aliqvâ peculiari, nec ne? sanè in omnium ferè fertur ore, quæq;
suæ fortunæ fabrum esse: & fortunam publicam, sub nomine
singularis cujusdam prudentiæ, quærit ratio status; pro pri-
vatâ autem fortunâ quoq; parandâ delineavit prudentiam, quâ
Fabrum fortunæ vocat, non nemo. Cæterum dictærium illud
iam olim impugnatum, ruinoso nititur fundamento, quasi
Deus plerumq; mala malis, digna dignis tribuat hâc in vitâ,
Erasm. chil. 2. cent. 4. adag. 30. juxta versiculum proverbialem:

Ἐθλῶ γὰρ ἀνδρὶ τ' ἔθλα κὶ δίδοι θεός:

Quod quàm à Pandectis sacris & quotidianâ experienciâ alie-
num, notissimum. Ratio status eum prudentiâ publicâ con-
veniens, res nobilissima est. At quando ut prudentia separa-
ta, alium scopum, fortunam, intendit, quando Polypi mentem
& Chamæleontis naturam induit, & ad bonum eliciendum
mali auctor existit sub prætextu publicæ salutis & gloriæ Dei:
tunc

tunc generosam mentem minimè decet, nec publicæ rei firmitatem præstat. Quin jure divino in justitiâ & pietate firmatur thronus! Quod in se improbum, non potest jure fieri propter aliquod bonum. Sed brevibus isthæc expediri non possunt, Præcepta fabri fortunæ præcipua, notitia sui & aliorum, prudens sui ostentatio, confidentia & cætera talia: sed cum sine nostro vix consistentia. Prudentia juris virtus est, cujus scopus principalis non potest esse fortuna, res ipsâ imperfectior. Quin peccat, qui constituit ultimum finem in gloriâ humanâ, ad quam ordinat virtutis opera. Notitia aliorum, ut Magistratui concessa, ita in privatis illicita, & curiosa est, extra invocationis metas. *c. ex merito. 6. q. 1. B. Hülf. de cor. frat. §. 9. n. 136.* Unde in juriarum teneri arbitrer percunctatorem alienorum delictorum quippe in actu illicito non sine pro-palatione aut instigatione versantem. *vid. Dn. Carpz. pr. cr. p. 2. q. 69. n. 70. Geil. de p. p. l. 1. c. 1. n. 47.* Notitia sui res divina, sed in adversis potiùs se exerens quam prosperis, & ad sui vilitatem. Ostentatio sat frequens; sine quâ nec virtus hodie ferè in pretio. Et tamen non negante Fabro fortunæ, vitium in Ethicis est. Non ergò aliud in prudentiâ juris. Vir candidus est ἐλαττωτικός, sua potiùs extenuans, quam jactans. *c. imitare 6. q. 1. C. si quis verò. 11. q. 3.* Confidentiam suam nec ipse Faber fortunæ dissimulat esse impudens. remedium. Atqui improbus obfirmat faciem suam, *prov. 21, 29. 14, 16.* quod Phrasi Ebræâ est impudentem esse. Talis confidentia Advocatorum, siqui clientulis suis expeditum litis eventum promittunt. Quod tamen bonâ conscientia fieri vix posse, quin potiùs cavendum tanquam ignem, tradunt gravissimi auctores. *Viv. l. 1. dec. 123. n. 5. Spec. Cothmann. alii.*

XXXII. Inter bono fortunæ sunt dignitas, fama, opes, potentatus, amici & plura talia. Dignitas adjunctum finis nostri, seu finis minus principalis. Non quæ Romanis olim usitata, hodie antiquata. Ea ad historice juridicam, non ad ipsam Jurisprudentiam. Nobis dignitas accipitur,

C

pro

pro iudicio de iustitia & virtute alicujus. Sicq; à propria conscientia, Deo Angelisq; est, vel ab aliis hominibus. Uterque verus honor. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientia nostra, dicente Apostolo. De externo hominum honore, dubium videtur. B. Aug. l. 5. de C. D. c. 17. *Si perversitas, ait, seculi admitteret, ut honoratiores quicq; essent meliores, nec sic pro magno haberi debuit honor humanus, quia nullius est ponderis fumus.* Sic Heraclitus philosophus alto animo, sic Zeno Eleates, Democritus, aliiq; veterum, honorem contemserunt, notante Laërt. in vitâ cor. Talia hinc inde plura. Sed comparatè intelligenda. Sit honor ille verus in se, tamen comparatione alterius est quasi non talis. Ex parte honorati nil ad est nisi extrinseca denominatio, Hic ergò honor à fine nostro abesse potest, ut cætera fortunæ bonæ. Et in dominio nostro est. *Vasq. cont. ill. c. n. n. 16. Lugo de j. e. j. disp. 14. f. 10. n. 153.* Appetere illum potest & tueri *ὀδὶ καὶ εὐδαιμονίᾳ, l. f. C. de stat.* sed intentione remissâ, bono fortuito proportionatâ. Rectius autem cæteris paribus eum contemnit, modò temerè non jactetur. Inter nostros ita *Zaf. in l. cum quid n. g. si cert. per. Dauth. de test. proleg. n. 6.* alii. Graviter iterum August. *Epist. 64.* minùs monet hæc assumendum quàm offertur, ut ab iis qui te honorant, nec totum accipias, nec nihil, & id quod accipitur laudis ut honoris, non propter te, qui totus coram Deo esse debeas & humana contemnere, sed propter illos accipiatur, quibus consuli non possit, si nimiam dejectione vilescas; Magnum esse de honoribus & laudibus hominum non latari, sed omnem pompam inanem præcidere, & si quid inde necessarium retinetur, id totum ad utilitatem honorantium conferre. Unde verior sententia negantium, pro defensione honoris occidere licere. Cum primis actionis injuriarum cum fine nostro rarior conjunctio: Maximè ita ut humana & Christiana officia ideo intermitteri debeant; quibus nec eam actionem simpliciter tolli probabile putem, nisi extantibus aliis conjecturis.

XXXIII. Honor ille Accidentaliter declaratur, signis

gnis exterioribus, inter quæ præcipuè præcedentia, præcedunt
tituli Campus latissimus. Doctorem Juris, Doctori Medicinæ
etiãsi physicus sit Civitatis, nisi tamen Archiater Principis
præferri tradit Magnif. Carpz. *dec. 7.* Licentiati quomodo Do-
ctoribus comparentur, alii monent. Exercitatos Practicos
Doctoribus junioribus anteponit ord. pol. Sax. El. de anno 1612.
n. 5. Honor corpori alicui debitus, ad singulos de corpore non
transferendus *Cothm. Nud. R. 28. n. 20.* Magnatum illustres in-
ter se prætensiones, & controversiæ honorariæ non latent. Sed
non licet plura!

XXXIV. Opes quæ & fortuna dicuntur, *L. 40. §. 8.*
de stat. lib. & ipsæ rationem finis minus principalis habent.
Wes. orat. de fin. Ita enim in hac mortalitate comparatum.
Intentio tamen debet esse fini nostro proportionata, acces-
soria & admodum remissa. Advocatus lucro non debet inten-
dere, sed justitiæ: Nec honorarium finis principalis esse debet
Commisarii, sed secundarius. *c. infames. 3. q. 7. Viv. l. 1. dec. 123.*
n. 17. Rut. de comm. p. 1. l. 6. c. 7. n. 1. Imò ego tertiarium vel ul-
tiorum etiam dixerim. Nec enim uno sed pluribus à justitiæ
bono, quævis bona fortunæ distant gradibus. Consentane-
um ergo iis quod suum est, tribuere. Contractus eque-
dem multis casibus liciti, etsi pretium interveniat minus modò non
infra dimidium. Non tamen conveniunt bono viro juxta gl.
Bulg. Bl. alios ideoque nec fini nostro, quamvis dissentire videa-
tur *Dec. in l. si imper de R. j.* voce tamè viri boni forsan aliter utens,
quam ceteri. Sic cum fine nostro vix consistet, quod ex actu vel
contractu licito, sed adversus quem restitutio in integrum lo-
cum habeat, lucri est.

XXXV. De Malis fortunæ eorumque; ad ultimum fi-
nem practicum accessione, disenserunt antiqui Philosophi
Nos ante monuimus, finem absolutè ultimum hic quæri no-
debere, sed talem qui in hanc vitam cadere possit, ubi de-
mnimodà ἀκασία nil sperandum; Sed mala fortunæ inter-
juncta finis nostri disjunctiva numeranda. Est enim justus i-
teriens in justitia sua: & qui innocentiam coluit, afflictus quæ-

tidie. *Eccl. 7. 15. Psal. 73, 13.* Alia ex Pandectis sacris innumera consulto præterimus. *Qui justus est, & injustè maledicitur, præmium illi redditur. c. qui justus u. q. 3.* Metus mali in virum constantem cadit, & ob damna fortunæ merito lugemus *l. 5. quod met. ca. l. f. C. de præsc. 30.* & S. Patres aliiq; viri prudentes docuerunt, paupertatem, contemptum dolores & cætera talia beatitudini nil obesse. *Ambros. 2. off. 23. Geil. 2. O. 95. n. 20.* Aristides ideò pulsus Patriâ, quod præter modum justus esset. *Cic. 5. Tusc.* Papinianus doctrinæ legalis Thesaurus, occisus justitiæ causâ. Ulpianus interfectus à Prætorianis, eandem ob justitiæ amorem cum Papiniano exitum fortitus *Forst. hist. j. l. 2. c. 77.* Benè S. Aug. *l. 1. de C. D. c. 8. temporalia,* ait, *bona & mala utrisq; (bonis & malis) voluit Deus esse communia, ut nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoq; habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerumq; afficiuntur.* Talia nonnulla Jurisprudentiæ propria. Sumtus immensi tam justæ, quàm injustæ causæ impendendi; jactura temporis; dissidia, molestiæ, incertissimus litis eventus, etiamsi causa habeatur justa, & advocati patrocini summa præstitum sit industriâ; adversus studiorum juris successus, in studio Theorico antiquatorum multitudo, in tantâ vitæ brevitate: & sexcenta alia. Nec rara ista, sed quotidiana. Ut communiter accidentium, à quibus probabile ducitur argumentum, vice esse videri queant.

SECT. IV.

XXXVI. Jus in publicum & privatum à fine distribui diximus, determinatione factâ ad certam hierarchiarum. Nec enim homo solum privatus, sed & Princeps debet esse justitiâ plenus. Unde juxta Thomam, *2. 2. q. 58. a. 7.* Justitia universalis ordinat hominem ad bonum cômune immediatè, particularis ad bonum particulare unius personæ. Appellationes finis juris publici tetigimus supra. Emphaticæ sunt, quas aurea bulla Caroli IV. *tit. 2. 7.*
& præf.

& pref. habet, ut quæ finem Imperatoris, salutem populi Christiani & felicem statum sacri Imperii laudat, Christianumq; Imperium à Deo, fide, spe, & caritate, virtutibus Theologicis roboratum prædicat.

XXXVII. Juxta ea quæ diximus, ejusdem quidditas ponitur in operatione secundum justitiam publicam eamq; optimam, quoad in hac vitâ possibile. Justitiæ enim fruendæ causâ olim bene morati Reges constituti *Cic. 2. off.* Eademq; est beatitudo uniuscujusq; hominis & civitatis. Justiniano sanè *N. 149. 161. pr. & c.* aliud nil tam propositum quàm ut subditi in omnibus justitiæ bono fruerentur summo. *N. 77. l. 23. C. de Nupt.* Ideò Rittersh. *in Nov. p. 12. c. 9. n. 8.* Scopus, ait, *legislatoris & boni principis Officium est, ut cives & subditi honestam, bonam beatamq; agant vitam, & benevolentiam Dei sibi concilient.* Non igitur felicissimam eam civitatem diceremus, ubi omnium rerum affluentia & nulla indigentia. Nec enim finis noster ultimus in bonorum externorum affluentia solâ consistit. Sed nec junctim cum operatione secundum justitiam. Equidem cum *Cic. Huswed. ep. Arum. vol. 3. disc. acz3. th. 17. aliq;* finem Reip. ajunt esse beatam Civium vitam, ut ea opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit. Sed cum *Cic. 5. Tusc.* aliàs asserat, bonis externis neq; cum adsint, quem fieri beatiorum, neq; cum absint minus beatum; vix est quod opes & gloriam beatitudini aliter connectat quàm secundario.

XXXVIII. Porro jus publicum ad statum Reipub. directò & principaliter spectat. Et Respub. ordo est imperantium & parentium. Unde quæstio, consistatne finis Jurispublici in utilitate imperantis, vel subditorum, aut utriusq; junctim? Planè qui subditorum salutem urgent, à sententiâ eorum, qui eam cum Imperantium utilitate jungunt, non videntur distare, adeò, ut concordiam non subeant. Id certum, Jus publicum subditorum principaliter intendere salutem. Horum quippe bono constitutus à Deo Magistratus jure divino. *Quod &*

Justinianus noster studiosè intendit. *N. 80. pr. 86. pr. 149. pr. & alibi.* Plerorumq; hæc & verissima sententia, satis ab aliis exposita *Reink. de R. E. & S. l. 1. cl. 1, cult. n. 88. Vasq. ill. cont. pref. li. 1. ubi allegat Arist. Plat. Cic. Tho. gl. Abb. Br. Boër. alios.* Nec de subditis jure belli quæsitis forsan aliud.

XXXVIII. Cùm autem juxta Platonem, is qui præest Reipub. ita debeat utilitatem Civium tueri, ut quæcunq; agat ad eandem referat, oblitus commodorum suorum. *Beust. in l. admomendi n. 427. de jurej. Cagnol. de rect. princ. inst. n. 45.* Et Claudianus ad Honorium:

*Tu Civem, patremq; geras, tu consule cunctis;
Nec tibi, nec tua, te moveant sed publica vota;*

Sanè videtur utilitas Imperantis à fine, nostro excludi. Sed non excluditur Platonis enim alterum præceptum fuit, ut Imperans totum Reipub: corpus curet. *Beust. d. l.* Et salus, beatitudo Imperii, publica, communis, non solos parentes notat. Commune, τὸ κοινόν, Rempub. significat; Imperium corpus imperantium & parentium. Et Romani Imperii caput est Imperator, Electores die fördersten seu vornehmsten Glieder. Caput quidem respectu totius populi, ein weltlich Haupt des Christlichen Volcks/ Unde sapienter Fridericus bellicosus Dux Sax. dum, ait, cum nobilitate princeps, & cum utrisq; populus consentit, felicissima est gubernatio. *Fabric. Or. Sax. lib. 7.* Et Imperantium felicitas in subditorum felicitate consistit. *Grot. de j. b. l. 1. c. 4. §. 4* Quin distinctio boni Principis & Tyranni à fine est, quod ille commodum publicum intendat, hic privatam. *2. pol. 7.* Et subditorum quidem commodum primariò quoq; respiciendum. Secus dominatus extiterit, qui sub Tyrannide continetur. Quamvis vox Tyranni quandoq; quemvis pravum vel injustum Principem notet, quandoq; Tyrannum in specie qui enormiter lædat salutem publicam. Fine tamen nostro nec iste fruitur nec ille; Eoq; ipso & introductionem finis in totum Reipub. corpus ut cujus pars præcipua caput sit, impedit uterq;. Subditi

subditi verò & hi vel illi privati, sub Injusto etiam Principe, si-
ne nostro frui & beati esse queunt. Cum igitur finis hic no-
ster jure divino & naturæ Principi præstitutus sit, nec ex pleni-
tudine potestatis contrariari poterit illi. Juri quippe divino
non potest derogare, nisi ex causâ, quæ ipso jure divino conti-
neatur sive expressè sive *κτὴν διαβολῆς*. Et justa causa hîc non
est sola Principis voluntas. *Pet. de pot. princ. p. 573.*

XXXIX. Jurisprudentia feudalis eundem cum Ju-
risprudentiâ totâ intendit finem ultimum. Jus quippe feu-
dale, ex quo ab immemoriali usurpatione constitutionis vim
induit, in parte quâdam Cæsarei Juris haberi capir. Nec se-
cundum justitiam publicam in Imperio Romano Germanico
completè vivitur, si non simul feudalis justitiæ ratio habeatur.
Dum igitur Wesenb. *æcon. j. feud. c. 15.* feudorum finem re-
spectu Vasalli dicit esse, ut tribuat ei gaudium et se à Domino
beneficio affici sentiat, respectu Domini, ut Vasallum habeat
obnoxium ad servitiâ; de fine sanè ultimo non loqui-
tur.

XL. Jurisprudentia publica ut duplex est, Ecclesia-
stica & secularis, ita utraqve finem nostrum studiosè intendit.
Sane Juris Canonici finis quibusdam est beatitudo æterna & sa-
lus animæ *Lanc. Inst. j. can. proem. post. Host. Afflict. alios.* Atqui
de proprio Jurisprudentiæ fine agimus, & tali qui sit *κτὴν τὸς ἀν-
θρώπων* hâc in vitâ qualis iste non est. Cumqve Jure Canoni-
co in Imperio nostro aliter non utamur, quam Jure consuetu-
dinario *Matt. Steph. de jurisd. l. 3. p. 1. c. 1. Musc. de succ. anom.
memb. 2. cl. 1. conc. 5. lit. a.* Certè alius finis hîc non quærendus
quam juris Romani scripti. Proinde *Garf. de ult. s. n. 18. seqq.*
docet, finem Juris Civilis & Canonici; eundem esse proxi-
mum, felicitatem humanam, posteriorem, vitam æternam:
Nec Jus Canonicum aliter obviare peccatis ac civile. An
autem sublatâ de merito justitiæ opinione Pontificiâ, quam
ipse annectit, sententiæ Garfianæ ad Jus Ecclesiasticum no-
strum sit usus aliquis, non est quod nunc disquiramus. Nec
exponimus, an de conscientiiis, earumq; Jure, ullâ ratione age-
re, prudentiæ legalis sit, cum videamus Jctos, casus juridicos
non

non respectu externi tantum, sed sapè interni etiam fori de-
cidere v.c. de obligatione præscriptionis in conscientia; de
pœnis legalibus aut damnis ex levi & levisimâ culpa non præ-
staudis in foro animæ; de non debitis in foro conscientia le-
gatis ex testamento imperfecto, *Sutholt disp. 6. aph. 5. Clar 5.*
sent. S. f. q. 62. n. 5. & q. 81. n. 7. Colleg. Jur. Tubing. apud Besold.
conf. 81. & plura talia. Dumq̄ve contrahimus omnia, &
causâ non unâ ad finem properamus; veniâ, spero, merebimur, si
pleraq̄ve concisius, quàm par est, nonnulla quoq̄ve verbis mu-
tuatitiis dicta videantur, & materia, uberiori tra-
ctatu dignissimâ, disertatio nostra non re-
spoudeat.

Μένω τῷ Θεῷ δοξα!




ULB Halle
005 122 49X

3



V317





447.

1662
29 4.
10
11

I. N. J.
De

ULTIMO JURIS ET JUSTITIÆ FINE,

PRÆSIDE

Viro Nobiliss. Excell. Consultiss. Ampliss.

DN. MICHAELE LEDERERO,

J.U.D. Incl. Fac. Jur. Asfess. Cur. provinc. Advoc.

Reip. pat. Consule &c.


PATRONO COLENDO,

PRO LICENTIA D. U. J.

D.

ERNESTUS TENTZELIUS,

ad d. .Novembr.



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, AcademTypogr.

1662

